

guenda est extensio; alia *generalis*, quæ nullos patitur limites; alia *particularis*, quæ societas vel unam Provinciam, vel ad summum quosdam populos complectitur. Extensio generalis iterum duplex est; *metaphysica* scilicet, qua societas aliqua in omnes, nulla excepta, regiones extendetur; et *moralis*, qua in multas et plerasque orbis partes diffunditur. Ecclesiæ *Catholicitatem* in extensione metaphysice universali non constituunt Catholicis: siquidem nunc existit Ecclesia, eaque *Catholica* dici debet; quæ duo nemo non confitetur: atqui tamen nulla est societas, quæ universalitate metaphysica gaudeat. Et revera Catholicam esse suo tempore Ecclesiam sancti Patres asserere non dubitarunt: atqui tamen bene noverrant aliquas tunc esse terræ partes, quæ Evangelii lucem non aspexerant; sed Ecclesiam eo sensu Catholicam esse, quod universalitatem habeat moralem, sententia est Catholicorum; cum quibus sit

#### PROPOSITIO I.

*Ecclesia eo sensu Catholica est, quod moraliter ubique sit diffusa.*

Probatur ex Scripturis ab Augustino expositis. (*Genes. capitib. 22. 26. 28.*) Deus Patriarchis Abraham, Isaac, et Jacob promittit, omnes terræ gentes in eorum semine benedicendas esse, ex eoque tantam multitudinem orituram, ut stellis cœli et arenæ maris par futura esset: quibus verbis extensio quædam generalis manifeste exprimitur: atqui, juxta Augustinum, hæc promissio suum in Christo et in Ecclesia habuit exitum: sic enim Donatistas urget sanctus Doctor: *Date mihi hanc Ecclesiam si apud vos est; ostendite vos communcare omnibus gentibus, quas jam videmus in hoc semine benedicti.* (*Lib. de unit. Eccles. cap. 6.*)

n. 14.) Immensam hanc Ecclesiæ diffusionem non minus clare sacri Vates cecinere, quorum innumera sunt hæc de re testimonia: *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te: postula à me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* (*Psal. 2. v. 7 et 8.*) Hereditas illa et possessio Ecclesiam designant. *Quis enim Christianus, ait Augustinus, hanc hereditatem aliud quam Ecclesiam unquam intellexit?* (*Ibid. cap. 8. n. 20.*) Atqui hereditas illa omnes gentes complectitur; hæc possessio tam late patet, quam ipsa terra; ergo et Ecclesia iis verbis adumbrata.

*Oportebat Christum pati, inquit Christus, et resurgere tertia die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma.* (*Luc. 24.*) Atqui hæc verba interpretatur Augustinus de Ecclesia quæ ab urbe Hierosolyma, in omnes gentes propaganda erat. *Teneamus ergo Ecclesiam ex ore Domini designatam, unde cœptura, et quousque perventura esset; captura scilicet ab Jerusalem, et perventura in omnes gentes.* (*Lib. de unitate Ecclesiæ, cap. 10. n. 25.*)

Idem asserit sanctus Cyprianus: *Ecclesia, inquit, luce Domini perfusa, per orbem totum radios suos porrigit. . . ramos suos in universam terram expandit.* (*Lib. de unit. Eccles. Edit. Baluz. pag. 195.*) Sanctus Optatus Donatistas sic exagitat: *Apud vos solos (Ecclesiam) esse dixisti. . . ut ubi vultis, ibi sit Ecclesia; et non sit ubi non vultis. Ergo. . . apud nos. . . non erit? In Hispania, in Gallia, in Italia et per tot innumerabiles Insulas, et ceteras Provincias, quæ numerari vix possunt, ubi vos non estis, non erit. Ubi ergo erit proprietas Catholici nominis, cum inde dicta sit (Ecclesia) Catholica, quod sit ubique diffusa.* (*Lib. 2. contra Parmenianum. cap. 1.*)

## PROPOSITIO II.

*Sola Ecclesia Romana verè est Catholica.*

Probatur. Ea sola societas proprie Catholica est, quæ per totum fere orbem terrarum diffunditur; atqui sola Ecclesia Romana ejusmodi est: eam enim reperias in Europa, in Asia, in Africa et in America, ut constat ex viatoribus et historicis; contra vero Hæreticorum societates, intra quasdam mundi partes coercentur: *Diversorum Hæreticorum Ecclesiæ*, ait Augustinus, *Catholicæ non dicuntur, quia per loca, atque per suas quasque Provincias continentur: hæc vero, (Ecclesia Romana) à solis ortu usque ad occasum, unius fidei splendore diffunditur.* (Tom. V. append. serm. 242. n. 4.) et vero, inter societates ab Ecclesia Romana separatas, potissimum locum tenent Protestantes in Occidente, Lutherani scilicet et Calvinistæ; in Oriente vero Græci Schismatici: atque illæ nequamquidem *Catholicitatis* habent: 1<sup>o</sup>. enim Protestantes vix in Oriente cognoscuntur; in Occidente vero, ubi magis profecere, majorem locorum partem non obtinent. 2<sup>o</sup>. Græcorum societas de *Catholicitate* cum Ecclesia Romana, nullo modo certare potest. Quis enim nesciat Ecclesiam illam jamdudum Mahumetanorum jugo oppressam, non nisi tristes pristinae suæ magnitudinis, ruinas exhibere? Patriarchatus Constantinopolitanus, qui majorem hujus communionis partem efficit, non constat nisi Episcopis circiter 150. . . nullam Græci Schismatici in Africa, nullam in America Ecclesiam habent, dum Ecclesia Romana totum fere Occidentem, pluresque tum Africa, tum Americæ partes occupat; ergo, etc.

*Solvuntur objecta.*

Objicies 1<sup>o</sup>. Si Ecclesiæ propria foret Catholi-

eitas, eam quolibet tempore obtinisset, et ubi primum à Christo fundata est: atqui tunc non erat Catholica; ergo, etc.

Resp. Neg. maj. Ex angustiis enim Ecclesiæ nascentis limitibus perperam concluderetur universalitatem ei non convenire; cum scilicet ei non competat, nisi ex voluntate Dei per Scripturas declarata, modus etiam talem acquirendi universalitatem ex eodem Dei arbitrio pendet: atqui voluit Deus, ut Ecclesia ex parvis initiis celerrime brevique tempore cresceret; ridiculum est igitur velle, ut Ecclesia, vel à suis incunabulis, non minus late pateat, quam postea; satis est autem Ecclesiam in ipso ortu parvam, intra breve tempus, rapidis progressibus longe lateque excurrisse atqui eam fuisse Ecclesiæ conditionem patet; tum ex præcepto Christi Apostolis præcipientis, ut omnibus gentibus Evangelium prædicarent; tum ex historia, qua constat statim magnam populorum multitudinem Christianæ Religioni nomen dedisse, adeo ut vel adhuc vivens Paulus de verbo veritatis Evangelii, dixerit: *Pervenit ad vos, sicut in universo orbe, et fructificat, et crescit sicut in vobis.* (Coloss. 1. v. 5 et 6.)

Obj. 2<sup>o</sup>. Neque unquam fuit, neque nunc Ecclesia per totum orbem diffusa est; ergo nullo tempore requiritur ut talis sit.

Resp. Dist. ant. Si rem metaphysice accipias, conc. ant. si moraliter, neg. ant.

Porro Scripturæ, Patrumque de Ecclesiæ per totum orbem propagatione verba, non nisi moraliter accipienda sunt; quemadmodum et plura similia in sacris litteris, et in vulgari sermone intelligi consueverunt. Vere profecto dixit Paulus: *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Jesu Christi.* (Philip. 2. 21.) Vere Nabuchodonosori dicitur: *Deus sub ditone tua universa constituit.* (Daniel, cap. 2. 38.) Vere de Romanis sic loquitur Paulus: *Fides vestra annuntiat in universo*

mundo : ( Rom. 1. 8. ) atqui tamen hæc omnia ; non nisi moraliter intellecta , vera sunt : quanta autem esse ista debeat propagatio , ut moraliter universalis dici possit , non ita facile est assignare ; quemadmodum nec certo definias , quam diffusum esse debeat Imperium aliquod , ut morali sensu proprie dicatur , illud per totum orbem expatiari : hæc tamen tria certa sunt ; primum necesse non esse , ut Ecclesia omnia prorsus Regna , singulasque Provincias complectatur : neque enim falso dixerunt sancti Patres , sui temporis Ecclesiam universaliter extendi , quamvis neque in Americam , neque in Sinense Imperium protenderetur ; secundum , non sufficere ut Ecclesia aliquam Provinciam , aut Regnum aliquod occupet , quod pluribus sectis commune est ; tertium eam esse debere quavis alia societate particulari diffusioem .

Obj. 3<sup>o</sup>. Hæreticorum et Schismaticorum sectæ ; majorem orbis partem occupant , quam Ecclesia Romana ; ergo non est verè Catholica .

Resp. Dist. ant. Hæreticorum , etc. simul sumptæ , conc. ant. seorsim spectatæ , neg. ant.

Porro , ut jam diximus , ad Ecclesiæ Romanæ Catholicitatem satis est , eam in præcipuis orbis partibus ita existere , ut qualibet alia secta seorsim sumpta sit diffusior , nec quibusdam Provinciis aut Regnis , sicut aliæ societates particulares , contineatur ; atqui talem esse Ecclesiam Romanam probavimus . Et vero , constat Augustini ætate plurimas Hæreses et sectas in orbe Christiano grassatas esse , atqui tamen id non obstitit , quominus Ecclesia ab Augustino , ceterisque ejusdem temporis Patribus , Catholica diceretur ; quia scilicet tam late extendebatur , ut quamlibet aliam societatem sua diffusione facile vinceret ; ergo propter eamdem causam nunc merito dicitur Catholica .

Obj. 4<sup>o</sup>. Ab Ecclesia Romana gentes plurimæ recesserunt ; ergo si olim Catholica fuerit , saltem jamdudum talis esse desiit .

Resp. Neg. conseq. Licet enim concedamus plurimas gentes fuisse ab Ecclesia Romana segregatas , non ideo suam amisit Catholicitatem : nam si quid detrimenti ex una parte ceperit , ex altera abunde compensatum fuit illud damnum ; scilicet ubi vera fides et Religio ab aliqua gente , terribili , sed justo Dei judicio , aufertur , datur alteri , juxta istud Christi : *Auferetur à vobis Regnum Dei , et dabitur genti facienti fructus ejus.* ( *Matth.* 21. 43. ) Sic , quando Ariani Romanam deseruerunt Ecclesiam , ipsi adhæserunt Æthiopes , Iberi , Saraceni ; Cum Græci Schismatici à Catholicis desciverunt , tum Dani , Sueci , Norvegii et Hungari Ecclesiæ Romanæ per fidem sese adjunxerunt ; denique , cum Lutherani et Calvinistæ adversus matrem , quæ ipsos genuerat , insurrexere , tunc in ipsius sinum adducti sunt Indi , Japonenses , Brasilenses , Peruviani , Mexicani , aliique novi orbis populi ; ergo , etc.

#### PARAGRAPHUS IV

##### De Apostolicitate Ecclesiæ.

Ecclesiam Apostolicam esse , ut nostrum fert Symbolum , apud omnes Christianos in confesso est ; hanc vero dotem in eo tantum sitam esse volunt Protestantes ; 1<sup>o</sup>. quod suam originem Ecclesia trahat à Christo per Apostolos ; 2<sup>o</sup>. quod doctrinam teneat ab iis acceptam . Hæc autem duo non satis esse contendunt Catholici ; sed præterea requirunt , ut Ecclesiam continuam , minimeque interruptam , habeat Pastorum in ministerio sibi succedentium seriem , quæ ab Apostolis ducta , ad finem usque seculi propagabitur .

## PROPOSITIO I.

*Vera Christi Ecclesia Apostolica est ; tum ratione originis ; tum ratione doctrinæ ; tum ratione Pastorum sibi continua serie succedentium.*

Probatur prima pars. Vera Ecclesia ab iis suam debet originem ducere, quibus solis Ecclesiam fundandi jus commissum est : atqui solis Apostolis jus illud à Christo concessum est, his verbis : *Euntes, docete omnes gentes ;* omnis igitur Ecclesia, quæ alios agnoscit Patres, eo ipso falsitatis convincitur. Præterea Ecclesia quæ suam ab Apostolis originem non repetit, necessario schismatica est, sive ab antiquiore sese disjuncta : atqui societas schismatica non potest esse vera Christi Ecclesia, ut per se patet ; hinc Tertullianus : *Apostoli, inquit, Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, à quibus traducem fidei, et semina doctrinæ, ceteræ exinde Ecclesiæ mutuatae sunt. . . Ac per hoc et ipsæ Apostolicæ reputantur, ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum.* ( *Lib. de præscrip. cap. 20.* ) Hinc etiam Optatus Donatistas sic urget : *Vestræ cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare.* ( *Lib. 2. adversus Parmen. cap. 3.* ) ergo 1<sup>o</sup>. etc.

Prob. secunda pars. Ecclesia vera stare non potest, sine sincera Christi doctrina : atqui sincera Christi doctrina non alia est ab ea quam tradidit ei, quibus id muneris Christus commisit, sic jubendo : *Docete omnes gentes ;* ii autem sunt Apostoli. Idcirco statuunt Patres non tutius dignosci posse doctrinæ veritatem, quam ex Ecclesiis Apostolicis, unde dimanavit : *Si constat, inquit Tertullianus, id verius, quod prius ; id prius, quod et ab initio ; id ab initio, quod ab Apostolis ; pariter utique constabit id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum.* ( *Lib. 4. adversus Marcionem, cap. 5.* ) Et alibi :

alibi, *Constat, inquit, omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis, matricibus, et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo accepit.* ( *Lib. de præscript. cap. 21.* )

Quapropter Hæreticis sancti Doctores novitatem exprobrant, eorumque doctrinam, eo ipso falsam et adulterinam probant, quod ab Apostolis, tanquam à sacris fontibus, non derivaretur. *Quisquis assertores novorum dogmatum, ait Hieronymus, cur post quadringentos annos docere nitentis, quod ante nescivimus ! cur profers in medium, quod Petrus et Paulus edere noluerunt ! Usque ad hunc diem, sine ista doctrina, Christianus mundus fuit : ( Epist. ad Pamachium et Oceanum, tom. 4. part. 2. pag. 346. )* Idem Hæreticis exprobrat Hilarius : *Tarde mihi hos doctores ætas nunc hujus sæculi protulit ; serò hos habuit fides mea magistros ; ( Lib. 6. de Trinit. n. 21. )* ergo, 2<sup>o</sup>. vera Christi Ecclesia ratione doctrinæ est Apostolica.

Prob. tertia pars. Vera Christi Ecclesia, juxta ipsius promissionem, ad finem usque mundi in eo statu permensura est, in quo eam condidit ; si igitur eam ita institutam voluit Christus, ut à Pastoribus regeretur, extingui nunquam potest, vel intercepti illa Pastorum series : atqui hoc fuisse Christi consilium testatur Apostolus : *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos . . . Pastores, Doctores ad consummationem Sanctorum in ædificationem corporis sui ; ( Ephes. 4. v. 11. et 12. )* Ergo in vera Ecclesia perpetua esse debet ab Apostolis Pastorum series. Eam ut proprium veræ Ecclesiæ characterem semper habuerunt Patres, illamque Hæreticis opposuere : *Si quæ ( hæreses ), ait Tertullianus, audent intersere se ætati Apostolicæ . . . edant origines Ecclesiarum suarum ; evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus ali-*

quem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit autorem et antecessorem . . . sicut Smyræorum Ecclesia Polycarpum ab Joanne Collocatum refert, sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum . . . Confringant tale aliquid Hæretici. ( Lib. de præscript. cap. 32. )

Eadem Episcoporum, veluti catenam, ad Apostolos usque continuatam Hæreticis objicit Irenæus. Romanorum Pontificum seriem texit, qui à beato Petro usque ad Eleutherium, suo tempore viventem, Romanæ Ecclesiæ præfuerant, deinde sic pergit: *Annunciatam hominibus fidem per successiones Episcoporum pervenientem, usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo . . . præterquam oportet colligunt.* ( Lib. 3. adversus Hæreses cap. 3. n. 2. ) Ergo 3<sup>o</sup>. etc.

#### PROPOSITIO II.

*Nec orientalium, nec Protestantium societates verè sunt Apostolicæ.*

Probatur prima pars. Illæ societates non sunt verè Apostolicæ, quæ continuam, minimeque interruptam non habent Pastorum ab Apostolis sibi succedentium seriem; atqui Orientalium sectæ continuam, etc.: illarum enim societatum Pastores suis antecessoribus Catholicis nomine tenus succedunt. Eorum scilicet decessores, per suam unitatis centro, nempe Sedi Romanæ, adæsiōnem erant Ecclesiæ Catholicæ membra; alii contra, ut Photius et Cærolarius, societatum separatarum facti sunt Principes, dum à Romana Ecclesia recessere; quemadmodum igitur, si Prorex aliquis, in Americanis, v. g. Insulis, Regem se constitueret, sui que principis jugum excuteret, jam non esset verus propriè dictus Proregum successor, sed novi imperii conditor: ita planè Constantinopolitanus Episcopus, cum ex secundò Ecclesiæ Antistite, primus esse voluit, et à sede

Romana defecit, factus est primus societatis separatæ autor et princeps, non ab aliis descendens sed à se ipso incipiens; sectæ ergo Orientales jam non sunt Ecclesiæ Apostolicæ, quamvis olim fuerint; quemadmodum si quis Episcopus ab Apostolis constitutus, ab eorum communione cum suâ Ecclesia secessisset, tunc Apostolica esse desiisset illa Ecclesia; ergo, etc.

Probatur secunda pars. Nulla societas est Apostolica, nisi doctrinam ab Apostolis continuâ traditione transmissam profiteatur, Pastoresque habeat ab Apostolis legitime sibi succedentes; atqui neutrum reperias apud Protestantes. 1<sup>o</sup>. Quidem non doctrinam Apostolicam; tum quia alia est Lutheri, alia Calvini de Eucharistiæ Sacramento doctrina: atqui alterutra tantum ab Apostolis traditum potuit; tum quia illi doctrinam non retinent ab Apostolis derivatam, qui multas renovârunt hæreses ab antiqua damnatas Ecclesia, quam puriorem dicunt et doctrinæ Apostolicæ tenaciorem; atqui Protestantes multas renovârunt hæreses ab, etc. Nam damnatus est olim Aërius, quòd Presbyteros inter et Episcopos nihil esse, ex jure divino, discriminis contenderet; damnatus est Vigilantius, quia colendas esse Sanctorum Reliquias negabat, damnatus est Jovinianus, quòd Religiosorum vota, et illud maxime quo sese ad castitatem servandam adstringerent, sperneret: damnati sunt Iconoclastæ, quod, tum Christi, tum Sanctorum, imaginibus nullam exhibendam esse venerationem assererent; atqui illos aliosque errores antiquæ fidei contrarios suos fecerunt. Protestantes; quinimò testatur Calvinus veteres in eo errasse, quod pro defunctis preces fieri paterentur; *Abrepti etiam ipsi, inquit, fateor in errorem fuerunt.* ( Lib. 3. Inst. cap. 5. n. 10. ) Ergo 1<sup>o</sup>. etc.

Itaque vulgò non diffidentur Protestantes quædam se profiteri dogmata, quæ veterum Patrum, v. g. tertii seculi, ætatum subsequentium doc-

trinæ sunt opposita : atqui hujusmodi dogmata non possunt Apostolorum doctrinæ non adversari. Dicit enim nequit prioribus istis Ecclesiæ seculis, Apostolorum doctrinam deseruisse Patres et Doctores ; alioquin à fide Apostolica tota defecisset Ecclesia, quæ nusquam ipsorum doctrinam improbarit, eosque suos ut magistros audivit.

2°. Protestantium societas non habet Apostolicam in suis Pastoribus successionem ; nam quo anno, quo in loco, quo autore, multis post Apostolos seculis, exorti fuerint cognoscimus. Ubi, quæso, erat Calviniana secta, ante Calvinum ubi Lutherana, ante Lutherum ? Ipsis igitur merito objici potest, quod suæ ætatis Hæreticis opponebat Tertulianus jam laudatus : *Edant ergo origines Ecclesiarum suarum.* Sanctus Cyprianus de Novatiano sic pronuntiat : *Novatianus in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest, qui... Apostolicâ traditione contemptâ, nemini succedens, à se ipso ortus est ;* ( *Epist. 76. ad Magnum. edit. Baluz. pag. 152.* ) ergo 2°. etc.

Dices : Non repugnat Ecclesiam aliquam veram esse et Apostolicam, licet posterioribus seculis initium habuerit ; neque enim semper fuit Ecclesia Germanica, Gallicana, etc. ergo nihil vetat Protestantium societatem, quamvis recentem, dici Apostolicam.

Resp. Neg. consequ. Non repugnat Ecclesiam, quamvis recentem, esse Apostolicam, si fuerit à membris Ecclesiæ Apostolicæ instituta, ipsique conjuncta. Quemadmodum enim Ecclesiæ, quæ à fide vel unitate Apostolica recessere, jam desinunt esse Apostolicæ : ita è contrario Ecclesiæ, licet nullum ex Apostolis aut viris Apostolicis autorem suum proferant, utpote istis multo posteriores, Apostolicæ tamen merito reputantur, si ab Ecclesiæ Apostolicæ membris fundatæ, et ipsi communionis, ejusdemque doctrinæ vinculis colligatæ sint. Verùm eo nomine prorsus indigna est societas

novella, quæ Apostolicam unitatem et fidem violasse convincitur ; qualis est Protestantium secta.

### PROPOSITIO II.

*Ecclesia Romana vero est Apostolica.*

Prob. *Apostolicitas* sita est, tum in origine ab Apostolis ductâ, tum in professione doctrinæ ab ipsis traditæ, tum in perpetua Pastorum serie ab iisdem incipiente ; atqui hæc tria in Ecclesia Romana prorsus eminent.

1°. Quidem originem Apostolicam sibi merito vindicat, si non possit assignari, vel tempus, vel locus, vel autor, undè, post Apostolorum ætatem, initium habuerit. Ubi enim agitur de secta qualibet Apostolorum temporibus posteriori, facile est indicare, vel tempus quo in societatem coaluerit, et ab antiquiore Ecclesiâ recesserit, vel locum in quo nata sit, vel autores à quibus ortum acceperit ; atqui nihil simile de Ecclesia Romana assignavit unquam ullus hæreticus, vel hostis etiam infensissimus, nec talem Provinciam in se ausus est suscipere ; ergo 1°. etc.

2°. Ecclesia Romana Apostolica est ratione doctrinæ. Nullus enim dubitare potest, quin olim veram fidem ab Apostolis acceperit : quod sic testatur Tertullianus : *Felix Ecclesia, inquit de Romana, cui totam doctrinam Apostoli, cum sanguine suo, profuderunt.* ( *Lib. de præscrip. cap. 36.* ) Atqui Ecclesia Catholico-Romana fidem hanc retinuit illibatam : si enim unquam ab ea excidisset, vel aliquam in ea fide mutationem experia esset, quis fuerit illius novitatis autor, quo tempore coeperit, quo in loco primum nata sit, indicari posset ; siquidem hæc facile patent in variis hæreticorum sectis, quæ diversis Ecclesiæ sæculis exortæ sunt : atqui nihil horum de Ecclesia Catholico-Romana dici potest. Nullum in ipsius fide mutationis indi-

cium proferri potest. Latent omnino novitatis et tempus, et locus; et autor; ergo 2<sup>o</sup>. fidem ab Apostolis acceptam Romana Ecclesia servavit integram, ac proinde verè Apostolica est ratione doctrinæ.

3<sup>o</sup>. Pastores Ecclesiæ Catholico-Romanæ Apostolis sine ulla interruptione succedunt, quod factum est publicum, et certissimis historiæ monumentis consecratum; sed quia, ut olim aiebat sanctus Irenæus, *valdè longum est omnium Ecclesiarum enumerare successiones*, Lib. 3. *advers. hæres. cap. 3. n. 2.*) unam aut alteram satis erit appellare. Sic novimus quot et quinam Pontifices Romanam Cathedram occupaverint, à Petro Apostolorum Principe, usque ad Pium VI, qui nunc Ecclesiæ clavum feliciter tenet; sic nostra ætate Ecclesiæ Lugdunensi præest Archiepiscopus, per continuatam, et nunquam intercisam Præsulum seriem, quam facile est retexere, successit sanctissimis Episcopis Pothino et Irenæo, quos ab ipsis Apostolis, aut eorum successoribus immediatis in Gallias missos fuisse ex historia didiscimus. Hinc Catholicorum unus quisque etiam nunc cum Augustino dicere potest. *Tenet (me in Ecclesia) ab ipsa sede Petri Apostoli. . . usque ad præsentem Episcopatum, successio Sacerdotum.* (*Contra Epistol. fundam. cap. 4.*) Ergo 3<sup>o</sup>. etc.

*Solvuntur objecta.*

Obj. 1<sup>o</sup>. Romanus Pontifex à Cardinalibus qui humanæ sunt institutionis, eligitur; Episcopi autem à Regibus; ergo in Ecclesia Romana legitima non est summi Pontificis et Episcoporum successio.

Resp. Neg. conseq. Modus eligendi Ministros ad disciplinam pertinet, eà siquidem de re nihil à Christo fuit præscriptum. Suis autem antecessoribus legitime succedit Episcopus, eo ipso quod ritè electus fuerit.

Obj. 2<sup>o</sup>. Dum ferveret occidentis Schisma, plures

de Pontificatu adeò contendebant, ut incertum ac dubium fuerit, quinam verus esset Pontifex; ergo tunc, intercisam fuit Romanorum Episcoporum successio.

Resp. Neg. conseq. Inter eos qui tempore Schismatis de Sede Romana certabant, alii omni jure destituti erant, alii verò jus ad Pontificatum habuerunt, quamvis nondum satis apertum; et legitimi fuere Pontifices. Iis posterioribus successerunt hodierni Pontifices. Præterea etiamsi ex contententibus nullus fuisset verus Papa, non ideo periisset successio. Idem enim tunc contingeret, ac quando in Papæ defuncti locum nondum aliquis suffectus est: atqui tunc Romani Pontificis autoritas penès Ecclesiam residet, in eumque postea transmittitur, qui legitime fuit electus et consecratus.

COROLLARIUM.

*Ergo Ecclesia Catholico-Romana vera est Christi Ecclesia.*

Prob. 1<sup>o</sup>. Ea societas vera est Christi Ecclesia cui soli competunt notæ et characteres, quibus vera Dei Ecclesia ab aliis societatibus secernitur: atqui soli Ecclesiæ Catholico-Romanæ, etc. ipsa enim sola, ut probavimus, una est, Sancta, Catholica et Apostolica: atqui hi quatuor sunt characteres, quibus vera Christi Ecclesia ab aliis societatibus discriminatur; ergo, etc. Huic igitur Ecclesiæ firmissimè inhæreamus, et frequentissimas Deo grates persolvamus, quòd, sine ullis nostris meritis, in ea nasci nobis dederit.

Prob. 2<sup>o</sup>. Ecclesia Romana aliis antiquior est societatibus; siquidem nulla societas ea prior assignari potest, sed potius aliæ omnes demonstrantur Catholico-Romana posteriores: atqui Ecclesia antiquior vera est Christi Ecclesia; tum quia Ec-

clesia quam nunquam liceat deserere, vera profectò est: atqui juxta sanctos Patres, Ecclesiam aliis omnibus antiquiorem nunquam licet deserere, ut patet ex dictis; tum quia, si societas minus antiqua esset vera Christi Ecclesia, eam aliquando extinctam fuisse, et deinde suscitatum oporteret: atqui Ecclesia Christi nunquam potest deficere, ut ex dicendis manifestum erit; ergo, etc.

Prob. 3<sup>o</sup>. ex institutione Ecclesie. Vera Ecclesia ea est, quam Christus instituit, et Apostoli propagaverunt: atqui hæc Ecclesia non alia est quam Catholico-Romana: vel enim fuit à Christo instituta, vel ab hominibus postea ortum habuit: atqui illud posterius absurdum est; namque, ut ait Bellarminus: *In omni insignis Religionis mutatione semper demonstrari possunt, tum ipsius autor, tum dogma aliquod novum, tum tempus quo capit, tum locus ubi cepit. . . . Ut exemplis rem illustremus: 1<sup>o</sup>. novimus Ariane hæresis autorem fuisse Arium Presbyterum Alexandrinum; Nestorianæ Sectæ, Nestorium Episcopum Constantinopolitanum: 2<sup>o</sup>. novimus quæ dogmata invexerint: Arius enim docuit Filium Dei meram esse creaturam: Nestorius duas esse in Christo personas: 3<sup>o</sup>. non latent tempora: cepit Ariana hæresis anno 324; Nestoriana, anno 431; 4<sup>o</sup>. non ignoramus loca: ortus est Arianismus in Ægypto, Nestoriana hæresis in Thracia, Lutherana in Saxonia: atqui nihil horum de Ecclesia Romana assignari potest. (De Notis Eccl. c. 5.) Ergo etc.*

Prob. 4<sup>o</sup>. ex stupenda Ecclesie Romanæ propagatione. Longè latèque diffunditur: atqui illud cupus est Dei, non hominum; gratiæ, non naturæ. Nam 1<sup>o</sup>. vi strepituque armorum gentes non domuit nec pervasit, ut Mahumetismus; 2<sup>o</sup>. non sustulit, ut Socinianismus, quidquid in Christianis dogmatibus rationi impervium est, neque ut Protestantismus, quidquid in Christianis legibus libidinali contrarium; 3<sup>o</sup>. juxta Pseudo-Reformatos,

spiritalem exercet tyrannidem, quæ certò potius debet homines ab ea avocare, quam ad eam adducere: Romanam itaque Ecclesiam nec vis propagavit, nec juvit ars politica aut libido; ergo absque susidiis humanis diffusa est, ac proinde opus Dei censeri debet.

---

## CAPUT IV.

### De Ecclesie proprietatibus.

**I**LLÆ sunt potissimum Ecclesie proprietates, ut semper sit visibilis, et nunquam defectura; de quibus totidem in articulis disputandum est.

---

## ARTICULUS PRIMUS.

### De Ecclesie visibilitate.

Vera Christi Ecclesia non ideò tantum visibilis dicitur, quòd intuentium oculis pateat: nulla enim fuit unquam hæreticorum secta, quæ hoc modo aspectabilis non fuerit; sed eo maxime sensu, quod splendidis quibusdam characteribus ita emineat, ut, præ omnibus hæreticorum societatibus conspicua sit, et ab iis facile secernatur. Ecclesiam esse perpetuò visibilem, primum asseruere Protestantes in variis suæ fidei confessionibus quas citat illustrissimus Bossuet: (*Variat. Lib. 15.*) at verò, cum urgerentur à Catholicis postulantiibus, ubinam videretur Reformatorum Ecclesia ante Lutherum et Calvinum, ut ex illa difficultate, quæ sanè gravissima est, sese expedirent, dixerunt ex iis nonnulli Ecclesiam esse quidem visibilem; sed ita ut certis temporibus penè extincta sit; et in paucis fidelibus prorsus lateat.